6, 6

Q. D. B. V.

FEBRIS
ETECHIALIS EPIDEMICAE

QVA

ANNIS ABHINC DVOBVS

NOSTRA CIVITAS, EIVSQVE VICINIA

AFFLICTA FVIT

HISTORIAM

PRAESIDE

OANNE THEODORO
NEVCRANCIO

MED. DOCT.

EIVSDEMQVE FACVLT. ASSESSORE

In Auditorio Medico

DIE IV. OCTOBRIS A. MDCCXXIII.

PVBLICE PROPONET

EORGIVS ANDREAS GEYSSIVS

VINDESH. FRANCVS.

TEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIANAE.

PROOEMIUM.

Dominante Anno 1721. hieme valde tepida, ſqualida, humida, nebuloſa ac pluvioſa, hancque tempeſtatem excipiente frigore intenſo, caput extulit febris quædam intermittens, typo valde inconſtans, ad continuarum remittentium naturam magis vergens, atque inſuetis, iisque graviſſimis, ſymptomatibus interdum

ſtipata, per quinque menſium ſpatium, & ultra, graſſata eſt: Quæ poſtea, & ingruente in primis calidiori aëris temperatura, in febrem continuam malignam, cum exanthematibus variis, in primis maculis diverſi coloris & magnitudinis, aliisque atrocibus Symptomatibus junctam, atque non paucos e medio tollentem, degeneravit. Cujus Hiſtoriam, atque curandi rationem, prout eandem, per attentam obſervationem & experientiam, in noſtra praxi, perſpeximus, accurate deſcribere, & Speciminis loco, divino aſſiſtente Numine, tradere, nobiscum conſtituimus.

HISTORIA FEBRIS PETECHIALIS EPIDEMICAE DVOBVS ABHINC ANNIS IN *HAC NOSTRA CIVITATE EJVSQVE VICINIA GRASSATAE.*

THES. I.

Aggreſſus eſt hic morbus, in principio, maxime juvenes, humoribus abundantes, indeque habitus corporis laxioris, & illos in primis periculoſe detinuit, qui, præcedenti hieme, ſæpe ſub dio verſati, per varios, in diæta, errores, præcipue ingurgitationem nimiam potulentorum, eorumque calidiorum, uſum ciborum crudorum & fermentabilium, commotiones corporis immoderatas, vires naturales diminuerant, & ſibi tandem ejusmodi pravam diſpoſitionem con-

traxerant, qua morbo invadenti fores & feneſtræ quaſi apertæ ſunt. Deinde etiam viros, & provectioris ætatis homines, aſt non minus perverſæ diætæ adſvetos, fœminas pauciores, pueros raro, & infantes tenellos rariſſime adortum eſt hoc morbi genus. Sic porro, per contagium, ſe propagaſſe hanc febrem non obſervavimus, nec unicum notum eſt exemplum, conſentientibus omnibus, hoc loco artem facientibus Practicis celeberrimis, quod quidam eorum, cui, cum decumbentibus, quamvis ob cauſam & rationem, converſari neceſſe fuerit, niſi corpus jam diſpoſitum attulerit, aut timor & terror una acceſſerit, hujus morbi ſævitia deprehenſus fuiſſet.

THES. II.

Vt autem omnes fere morbi, licet alias ex una eademque progenie ortum duxerint, non iisdem ſemper facultatum læſionibus, in individuis telam exordiuntur, ſed pro diverſa ſubjectorum natura, ætate & ſexu diverſo, varia pariunt pathemata: ita & hic, ubi tragœdiam inchoare minatus eſt, non uno modo præluſit ſcenæ, ſaltem in hoc apud omnes ferme ſe illico prodidit, quod viribus vehementiſſime

in-

infeſtus fuit. Sentiebant enim ægri, ſtatim ab initio morbi, magnam earundem jacturam atque proſtrationem, ex laſſitudine corporis ſumma, & membrorum ejus gravitate, quam capitis ac præcordiorum dolor vel ſemper comitabatur. Parvus horror ab initio morbi non omnes prehendit, pulſus erat debilis, frequens tamen, calor remiſſior, cui ſitis reſpondebat, urina in principio non adeo mutata, ſed ſanorum ſimilis fuit. Atque haec, cum in omnibus ferme ægrotantibus apparuerint, pro pathognomonicis haberi nunquam dubitavimus.

THES. III.

Minime autem haec ſymptomata, in eodem gradu, per totum morbi decurſum, aut ſola, ſemper afflixerunt, ſed ubi non ſtatim ab invaſione, ab ægrotantibus indicata, quaſi in prima herba, cum ipſis cauſis, per remedia ſalutaria ſupprimebantur, quod cæteris paribus adeo difficile non erat, & annuente divina gratia ſæpiſſime effectum dedimus, moleſtiora pejoraque non ſolummodo evaſerunt, ſed iisdem inſuper alia ſe jungebant, pro morbi quidem & naturarum conditione, nec non rerum exter-

narum acceſſione varia, eaque ſæpe graviſſima, vires enim indies magis proſternebantur, ita ut ægri præ nimia debilitate, ex uno latere in aliud ſe movere, aut in lecto ſedere non potuerint, & fervide, nunc calentes, ſublatis vel leviter ſtragulis, tamen de frigore conqueſti ſint. Præcordiorum dolores in anxietates ſummas, cum inquietudinibus, Cephalalgiæ in deliria, cum loquacitate, immo vociferatione magna abierunt, quæ comitabantur vigiliæ; acceſſerunt nauſea & inſuperabile cibi faſtidium, alvus quibuſdam fuit fluida, alii obſtructionibus tenacibus diu ſatis detenti fuerunt, vomitus, cum ſingultu, & ventris fluxus doloroſus illos in primis ægros graviter affligebat, & ad ultimum ſæpe vitæ momentum excruciabat. Quibus Medicamentum emeticum, aut purgans, vel maxime in principio morbi, propinatum fuerat, quidam perpetuo ſitientes de oris ſiccitate valde conquerebantur, aliis fauces viſcido ſputo obſeſſæ fuerunt, hosque ſitis non adeo vexabat, inter hæc ſanguis in multis per nares prorupit, fœmellis, quæ afficiebantur morbo, menſes inordinate fluxerunt, aliis cutis fuit ſicca & arida, e contra multi ſudore fere diffluebant, dorſum

valde dolebat, & plurimis corpus conſpergebatur maculis, magnitudine, figura & colore variis, modo cum cute æqualibus, modo elatioribus, quæ non eodem ſemper tempore & modo eruperunt, ſed in quibusdam ſtatim ab initio morbi, in aliis ſeptimo, immo nono demum die, vel cum, vel ſine, gravibus aliis ſymptomatibus apparuerunt, ubi notandum, quod minores pallidæ vix tertium diem expectabant, majores rubræ vero ad morbi finem usque, cum euphoria ægrorum conſpiciebantur, at quando colorem rubicundum cum livido, violaceo & nigricante mutabant, res ægri in vado erat, pulſum nunc languidum, ſed celerem, frequentem atque inæqualem, nec non fere intermittentem obſervavimus. Vrina ſæpius naturali ſimilis, aliquando etiam turbida, cruda, craſſa, fœtida atque graveolens afferebatur.

THES. IV.

Acceſſit inſuper aliud exanthematum genus, protuberabant enim, cum anxietatibus ſummis & maxima virium, non raro etiam animi, defectione, veſiculæ, modo majores, modo minores, ſero acerrimo turgidæ, quæ cum ægro

gro male actum eſſe, ut plurimum indicabant. Atque ita morbus in ſummo ſuo vigore conſtitutus ſeſe habuit, ubi certe celerrime cum cohorte graviſſimorum ſymptomatum, ad finem properabat, & eodem quam plurimi, viribus tandem deficientibus, & calore naturali extincto, ſpiritum difficulter, ſed frequenter ducentes, & extremis frigentes, inter ſudores frigidos, cum pulſu debiliſſimo & fere prorſus deficiente, deliria & convulſiones, die quinto, ſeptimo, nono, raro undecimo, occubuerunt.

THES. V.

In illis autem, qui hoc vitæ periculo eluctati ſunt, poſt diem undecimum, decimum quartum, immo vigeſimum primum demum, ſymptomata omnia ſucceſſive & ſub blando ſudore, aut ſolum levi madore, toties remiſiſſe, e contra vero pulſum majorem & calorem naturalem magis evaſiſſe, obſervavimus, ad hæc fauces, quæ antea ſæpe ſiccæ admodum erant, iterum maduere, & cum levi tuſſi, ſputum viſcidum ejiciebatur, mucique narium, alvinarum fæcum, atque urinæ ſecretio ſenſim paulatimque in ordinem rediere, inſuper tamen adhuc aliquot

ſepti-

ſeptimanarum, ad omnimodam virium ægri reſtaurationem requirebatur.

THES. VI.

Aliam vero faciem hoc mali genus nactum fuit, ſpatio menſis circiter dimidii prælapſo, & in primis poſt ſolſtitium æſtivale, pauciores enim nunc non ſolum lecto affigebat, ſed, qui etiam morbo decumbebant, tantorum ſymptomatum ſyndromen atque ſævitiam non experti ſunt, quæ vero aderant pathemata, mitius affecerunt. Ita tantis præcordiorum anxietatibus, Cephalalgiis, inquietudinibus, vigiliis, hæmorrhagiis, ægri non laſſati, modo de dolore hujus vel illius lateris pungitivo, capitis atque artuum gravitate conquerebantur. Vires non adeo fuerunt ſuppreſſæ, nares parcius, ſed crebro ſtillabant ſanguinem, exanthemata, quando forſan his quædam ſe jungebant, pauciora, & ſæpe dorſum tantum conſpergentia, viſa ſunt, interim pulſus & urina naturæ viribus atque morbo magis reſpondebant, alvus ſecundo vel tertio quoque die, per ſe fuit aperta. Acceſsit circa finem morbi, qui jam ad diem vigeſimum pri-

mum, imo quadrageſimum, & ultra, protrahebatur, tusſis humida, & ægri, ſuperveniente diarrhæa ſalutari, aut auditus hebetudine, ſuper totum corpus lene ſudantes, & placide dormitantes fere omnes evaſerunt.

THES. VII.

Circa morbi hujus hiſtoriam porro ſedulo notandum venit, quod omnes, qui, per diutinos in diæta errores, ſibi tandem corpus, crudis humoribus turgidum, molle & languidum contraxerant, ut magis hujus febris acceſſioni & ſævitiæ obnoxii fuerint, ſic etiam majori ſemper cum periculo decubuerint.

THES. VIII.

Alvus laxa, aut etiam diarrhæa moderata, ſive ſtatim cum morbo, ſive demum aliquot dies poſt ejus invaſionem, viribus non nimis proſtratis, acceſſerit, ſemper mitiora reddidit ſymptomata, e contra vero obſtructiones diu durantes, anxietates præcordiorum majores, capitis dolores, atque faucium, linguæ, & oris

ari-

ariditas, imo non raro purpura alba, inſequebantur.

THES. IX.

Sic etiam purpuram albam petechias excepiſſe, ſcimus, ubi diarrhæa adſtringentibus ac opiatis improvide ſedata fuit, quando in primis ſimul nimis volatilium indecens uſus acceſſerat.

THES. X.

Sudores fortes ſtatim in principio apparentes, vires, morbi magnitudine atque malitia, ſuppreſſas indicabant, ideoque citam opem, ad praevertendum malum eventum, exigebant. Aliter autem ſe res habuit, ubi levis ſolummodo mador, morbum a principio ad finem usque comitabatur, aut circa finem morbi, ſudor ſuboriebatur moderatus; exinde enim Symptomatum levamen ſemper obſervavimus.

THES. XI.

Exanthematum multitudo aut magnitudo,

 mor-

morbum non reddidit minorem: vidimus enim aliquoties, ægros, per totum corpus, facie etiam, manibus & pedibus non excluſis, tam denſe purpuratos, ut vix inter maculas ſpatiolum reſtaret, quod acus cuſpide tangi potuiſſet, tamen nihilo minus duris omnibus ſymptomatis affectos fuiſſe.

THES. XII.

Saluti autem ægrotantium optime proſpeximus, adhibendo ſtatim ab initio morbi, ſub decenti regimine, medicamenta naturæ & morbo congrua, nulla etiam exanthematum eruptionis aut expulſionis, habita ratione, in hac enim præcautione, ut & morbi jam progreſſi curatione, regimen ægri & cura diverſa magnam vim habebant.

THES. XIII.

Ideoque morbus non major obſervatus eſt, ubi maculæ vel prorſus defecerunt, aut pauciores & parvæ, vixque ad unum aut alterum diem viſibiles, ſua ſponte ſe iterum proripuere.

THES.

THES. XIV.

Multo aliter autem ſe res habuit, quando maculæ, ob regiminis aut curæ errorem, diſparebant, talem nempe improvidam repulſionem ſemper gravisſima excipiebant ſymptomata: ſucceſſerunt enim virium proſtratio ſumma, reſpiratio difficilis, & anxietates præcordiorum vehementisſimæ, quas ubi non citiſſime naturæ vires ſuffulciebantur, & efficaci alexipharmaco pars malignitatis iterum ad cutis habitum commovebatur, utplurimum ſudor frigidus, deliria, ſyncope, aut convulſiones lethales inſequi ſolebant.

THES. XV.

Hæmorrhagia narium crebra non allevavit morbum, potius vires una cum ſanguine exhauſit. Maculæ, ſi quæ aderant, exinde palluere, immo nonnunquam prorſus retroceſſere, inſequentibus maximis ſymptomatis; vomitus vero cum ſingultu ſemper periculum vitæ indicavit.

THES. XVI.

Surditas vero, vel ſola auditus difficultas, in fine morbi accedens, ſanitatem promiſit, ut & pulſus ex ſuppreſſo, parvo, humili, ſe attollens, majorque evadens, ſicuti in omnibus febribus malignis, ita in hac in primis bonum eventum prænunciavit. Atque urina, ſtatim poſt emisſionem turbida, præ nimis tenui, valuit, circa diem vero undecimum, decimum quartum, imo vigeſimum, utplurimum conſpiciebatur ſedimentum album leve, aut ſubrubrum cum aliis ſignis bonis.

THES. XVII.

Quemadmodum autem, ad morborum naturam plenius cognoſcendam, a quibus remediis levati fuerint ægri aut læſi, accurate annotaſſe, maxime juvat; ita hoc pariter, in noſtri mali deſcriptione, non intactum reliquimus, quin potius diligenter obſervavimus, medicamenta alexipharmaca Θina volatiliia oleoſa, bezoartica nimis calida & ſpirituoſa, niſi acidis contemperata fuerint, neque in principio, neque

que in progreſſu morbi, cum bono ſucceſſu propinata fuiſſe, imo majores in humoribus turbas, calorem fervidiorem, ſudorem nimium, cum virium proſtratione, aut maculas fugitivas & non raro purpuram albam protruſiſſe.

THES. XIIX.

Purgationes pariter præſervationis gratia raro, curationis ergo vero, vel maxime etiam in principio morbi inſtitutæ, nunquam bene ceſſerunt, ad priorem ſcopum plures, qui iiſdem utebantur, ſæpe operatione nondum peracta, jam morbum invadere ſenſerunt, malo vero præſente humores magis exagitando, & vires exhauriendo ſæpiſſime ægros in maximum vitæ diſcrimen conjecerunt, aperitiva contra, blande laxantia, Clyſteres abſtergentes & lubricantes, ubi alias obſtinatior alvus requirebat, valde fuerunt proficua, non neglectis tamen interea appropriatis alexipharmacis.

THES. XIX.

Non minus periculum ſæpe attulerunt vomitoria: omnes enim fere, ad evacuandas, per inordina-

ordinatam diætam collectas cruditates, impuritateſque, ſibi hoc remedii genus eligentes, per totum morbi decurſum, & ad ultimum ſæpe vitæ momentum, nauſeis, conatibus vomendi, aut vomitionibus ipſis cum ſingultu, aliiſque funeſtis ſymptomatibus, vix ac ne vix, optimis etiam medicamentis mitigandis, graviter afflicti fuerunt.

THES. XX.

Porro, ut vena ſecetur morbo jam infectis, nunquam auctor fui, quicquid etiam ætas juvenilis, aut plethora, ſæpe nonniſi imaginaria, atque inde productæ, uti a quibuſdam credebatur, hæmorrhagiæ, in contrarium ſuadere viderentur; ubi autem, ante meum acceſſum ad ægrum, ſanguis detractus fuerat, ſemper graviora poſtliminio evaſerunt ſymptomata, & curatio ægri, legitima methodo, vel maxime celebrata, longius ad minimum protracta eſt. Scarificatio vero inſignem noxam quidem non inferebat, tamen etiam non recordor, ægros ab hac multum levatos fuiſſe. Veſicatoria tantum

effe-

effectum non præſtiterunt; imo nullius ferme memini exempli, quod ejusmodi ſeri evacuatione, in hoc quidem malo, deliria graviora, ſopores, aut convulſiones ægrum valde torquentes, vel ſolum remiſerint, ideoque hic abſtinere, iſthoc remedio, alias ſatis valido, ſuadebat ſana ratio.

THES. XXI.

Sed opiatorum decens uſus, in progreſſu & fine morbi, ubi ad ſiſtendos vomitus ſymptomaticos, moderandas diarrhæas exceſſivas, aut vigilias & inquietudines nimias ſedandas, indicabantur, periculoſus non fuit.

THES. XXII.

Optimo autem cum ſucceſſu, hanc febrim medendi fine, ſemper propinavimus Alexipharmaca, ex diaphoreticis vegetabilibus, ⊖inis volatilibus, & quibusdam animalibus, in forma liquida parata, atque ſpiritu acido vitrioli optime temperata, etiam non ſemper camphorata, nec non bezoartica terrea, & animalia, in forma pulveris, aut potionis, cum aquis temperatis & diaphoreticis, etiam pro neceſſitatis exigentia, antiſpaſmodicis, analepticis

cis & cordialibus exaltata. Iuxta hæc nunquam ſatis laudandus nobis venit julepporum, ex iiſdem aquis, ſed cum ſuccis acidiuſculis, fructuum confortantium, permiſtis, paratorum, atque inſuper ſpiritibus acidis, in primis Spiritu vitrioli communi, aut philoſophico, adhuc magis acidulatorum, effectus, præſertim contra deliria, vigilias, inquietudines, ſudores ſymptomaticos, &c. in ſumma, quandocunque natura, præ morbi malitia fere ſuccumbens, citiſſima confortatione opus habebat, mirifice, & quaſi in inſtanti ſuppetias optimas contulerunt. Horum deinde uſui, in primis ubi anxietates præcordiorum, aut inquietudines id ſuadebant, interpoſuimus ante dicta bezoartica volatilia acidis temperata, atque fixa, hacque ratione, adjuvante divino Numine, fere omnes, qui curæ noſtræ ſe dederant, a morte liberavimus.

THES. XXIII.

Non negligenda etiam fuerunt externa remedia, aromatica ſpirituoſa, volatilia, refocillantia, quæ, regioni ventriculi, temporibus, pulſibus applicata, aut naribus admota, in extremis debilitatibus, ſæpe, exoptatam præſtiterunt opem.

pem. Ipſe recordor quorundam, qui quaſi jam agonizantes, ejusmodi remediis reſuſcitati, & deinde, continuatis inſimul internis bezoarticis analepticis, per DEI gratiam novas vires nacti, priſtinæ ſanitati ſunt reſtituti.

THES. XXIV.

Quoad regimen ægrorum tandem compertum habemus, eosdem loco temperato, lectis & ſtragulis non adeo coopertos, optime degiſſe, e contra vero, hypocauſtis nimis calefactis, & ſtragulorum calore excesſivo, majores humorum turbas, anxietates præcordiorum, inquietudines, ſudores, aut hæmorrhagias nimias, cum virium proſtratione, excitatas, imo purpuram albam, cum ſyndrome gravisſimorum ſymptomatum non raro provocatam eſſe, nos non fugit. Linteamina etiam, durante morbo, uti in aliis febribus ſolet, ita hic quoque, non niſi cum maximo periculo & ſymptomatum exacerbatione mutabantur, æquales vero noxas attulit aër frigidus, ubi admiſſus eſt. Cibos interim ordinavimus, bono cum ſucceſſu, liquidos, molles, facillimæ digeſtionis, non nimis ſalitos, aut aromatibus, potius vero, pomo citri recentis

con-

ſit individuum, ſed tam hujus, quam aliorum, ad multa milliaria diſſitorum locorum, incolas, eodem modo & tempore afflixit, quo ipſo, ex cauſa magis generali ortum ſuum duxiſſe, innuit non ſolum, verum etiam nomen epidemicæ febris, ſibi vindicavit. *Malignitatis* porro culpa ſe nunquam exſolvere potuit, ut potius peſſimum morem geſſerit, &, ſub ſchemate non adeo magni morbi, tantum cum levi membrorum laſſitudine, aut parvo horrore, & calore remiſſo, telam exordiens, vires vitales ſubito proſtraverit, altasque radices, ubi fixerat, omnia ſusque deque habens, præter omnem malam ſuſpicionem, cum graviſſimorum ſymptomatum cohorte prorumpendo, maximum vitæ periculum, immo ſaepe ipſam mortem ſubitaneam, induxerit. Malignitatis indices erant etiam ipſæ maculæ varii coloris & magnitudinis: tantæ enim interdum fuit acrimoniæ humor maculans, ut non ſolummodo fibrillulas, cutem ac epidermidem, connectentes corroderet, ſed etiam cutem ipſam ſubjacentem nonnunquam corrumperet.

TANTUM.